non confundantur. Et una de cætero fiet provincia, plures [1] habens Metropoles, id quod & in aliis quibusdam noſtris exſtitit provinciis.

CAP. II.

ENimvero qui totius provinciæ imperium tenet (appelletur autem tota provincia, quemadmodum & ante, Paphlagonia) etiam oberrando urbes luſtrabit, nulla id factum prohibente ſacra forma olim forte ad talium prohibitionem compoſita, ſed neque *Vicarios* in locum ſuum hincinde per urbes dimittens. Omnino enim hoc ipſum prohibemus, ſi quidem turpe eſt, ut quamdiu [2] ipſe in provincia jus reddit, interim alteri quoque vices ſuas contra legem committat. Sed ipſe omnia diſpenſabit, & publica tributa ſumma cum animi promptitudine profligabit, neque plus neque minus exigens. Juſtitiæ præterea conſentaneam æquabilitatem retinens, ſimul providentiam adhibebit, ut ſi quid damni fiſcus acceperit, id corrigat: ſimul urbes illæſas tam publice quam privatim conſervet. † Annonam quoque, quam uterque prius magiſtratus habebat ſurgentem in ſeptingentos vigintiquinque aureos capiet: tum adſeſſorem habebit, qui ſeptuaginta duos ferat aureos: & cohortem unam ex ambabus compoſitam, procedentem usque ad centum virorum numerum, & quadringentos quadraginta ſeptem aureos & tremiſſem percipientem e publico. Cumque gratis [3] officium ſuſcipiat, gratis item hoc ipſum obeat. Nos enim in hac quoque parte ſubditos noſtros redimemus, & his qui ex conſuetudine per [4] occaſionem ſuffragii (ut vocant) *aliquid percipiunt*, dabimus ipſi, hoc nimirum illis per thronum tuum erogantes ex publicis ejus provinciæ tributis: neque patiemur, ut ſub ſpecie & velamento auctionis ſubditi noſtri in ſervitutem adigantur. Neque enim nos, qui deceſſorum noſtrorum collatores a Barbaris ereptos, ad veterem libertatem reduximus [5], committemus, ut qui nobis ipſis ſemper addicti fuerunt, aliis ſerviant: quin potius Deo, qui multis per nos gentibus libertatem elargitus eſt, ſubditorum noſtrorum usque novis auctionibus oppreſſorum libertatem (quoad ejus fieri poteſt) quaſi donarium aliquod offeremus: neque oblædentes eos qui jam accipiunt (introducemus enim ſolitam illis ad hoc ſecuritatem) neque item permittentes, ut datæ pro officio pecuniæ nomine magiſtratus, quaſi mancipium aliquod ſubditos noſtros vendentibus coëmant, & revendant injuriam inferentibus. Eſto igitur inter Pontici tractus provincias & hæc una, duplex [6] antea (haut ſcimus qua de cauſa) facta, appellabuntque (ut diximus) eum qui provinciæ præerit, Prætorem Paphlagoniæ Juſtinianeum, licebit autem Græca ipſum lingua etiam Strategum [7] appellare.

CAP. III.

PRæterea ſemper illi in memoriam rediges jusjurandum, cujus interventu officium ſuſcipiet, *ut puras manus neque turpi lucro ſordidas habeat, ut fiſci commoda juſtis & undique inculpatis acceſſionibus augeat, ut ſubditis noſtris æquitatem & juſtitiam impertiat, tam in cauſis publicis, quam privatis*, ſive contrahant, ſive judicio inter ſe contendant. Urbes autem absque læſione ſubditorum luſtrabit, & ut neque ipſe, neque Adſeſſor, neque quod ipſum ſequitur famulitium, ſive ex militibus, ſive ex cohortalibus, ſive ex ſervis, aliquid lucretur, aut gratis ſumptus faciat. Oportet enim ut tam ipſi ex iis annonis quæ porriguntur ipſi e publico, ſumptus faciant cum conveniente mediocritate agentes vitam, quam milites, qui ipſos comitantur, cognoſcant, quod ſi non ſuis contenti annonis iter faciant, ſed collatores noſtros auſi fuerint tentare injuriis, aut damnis involvere, aut gratis ſumptus facere, collatoribus indemnitas futura eſt ex ipſorum annonis, per eum qui magiſtratu defungitur, ut ipſe tam eas repetat, quam etiam ex illis ſuo periculo collatoribus indemnitatem aſſerat.

CAP. IV.

ATque hæc ſane lex nobis de Paphlagonibus poſita eſto, honoratiorem illis magiſtratum efficiens, ut qui inter *ſpectabiles* [8] numeretur, præbens ipſi auctoritatem tam in provinciales milites, (quatenus tamen juſte eis præcipiat) quam etiam contra alios, nullis ejus provinciæ hominibus privilegio uti queuntibus, ſive majores, ſive minores, ſive etiam procurationi rerum ad potentes homines pertinentium præfecti ſint. Certe quod facile per ea loca admittitur, hujus rei excellenter curam geret, ne committat, ut aliquorum prædiis *Tituli* apponantur, ullum aliud nomen habentes inſcriptum, quam vel fiſci vel regiarum domuum. Sed ſi quid tale factum deprehendat, eos quidem titulos e veſtigio detrahet [9]: fiſci vero nomine prorſus alios titulos prædiis ejus qui talia delinquit (ſi præſens hæc faciat) imponet, prius detractis titulis ad illius caput confractis. Si vero abſens ſit, prædiorum curatore comprehenſo tam corpus ejus tormentis ſubjiciet quam titulos detrahet: & in capite [10] eos curatoris prædiorum comminuet: ſciens quod ſi quid ejusmodi negligat, nos vero didicerimus ſimul aliorum, ab aliquibus impoſitos prædiis titulos hærere quam fiſci regiarumque domuum tam noſtrarum quam pientiſſimæ Auguſtæ, ſimul præſidem re ipſa comperta iſtos per negligentiam omiſiſſe, is qui hunc magiſtratum obtinet, bonorum ſuorum publicationem ſuſtinebit, ut qui cum facile pro magnitudine imperii præſens iſta prohibere potuiſſet, debita ea opera neglexerit.

CAP. V.

AD hæc diligenter ibi ipſum locorum proſpicere volumus, ut omnes qui *latrocinia* [11] *exercent*, qui alienas ſubſtantias aut etiam uxores rapiunt, qui alia denique patrant crimina, perſequatur, comprehendat, & competentibus ſuppliciis ſubdat, & omnem prorſus injuſtitiam reprimat: neque committat, ut in aliquo probiores & manſuetiores injuriis afficiant, ne aliis denuo talium perſecutoribus opus habeamus, cogamurque rurſus violentiarum repreſſores, latrunculatores [12] & alia id genus tolerare nomina ſimul & negotia quæ nos adverſati ipſum ad hunc ordinem produximus, & ita amplum dignitatisque plenum magiſtratum effecimus, ut tam appellationes apud ipſum cum judicat, interpoſitas ad excellentiam tuam, quique eundem unquam magiſtratum ſuſcepturi ſunt, & celeberrimum quæſtorem ſacri noſtri palatii, qui in forma conſultationis audientiam iis accommodabunt, quam minores cauſas quingentis ſolidis, in provincia ejus apud aliquos non ſpectabiles motas, & ſi ex delegatione ſint, cum per provocationem ſuſpenduntur, ad ſe deducat in habitu, & ordine ſacri auditorii, & ut ipſe inter a nobis inventos, & in ampliorem formam redactos magiſtratus ubique connumeretur. Siquidem & ipſi majores erunt, & in majore quam priores reputatione habebuntur, & facilius nobis vel in majoribus negotiis ſuum exhibebunt miniſterium. Nihil enim in parvo [13] magnum exiſtere, tum a noſtris dictum eſt majoribus, tum nos etiam ex ipſis judicavimus probavimusque factis. Subjicietur autem & huic legi deſcriptio [14] quæ ſignificet, quid e publico tam is qui provinciam regit, quam adſeſſor & cohors ejus accipiet, quo item dato magiſtratus codicillos percipiat.

§. 1. Ipſa ſane ratio qua magiſtratum geret, cum hoc loco ſub compendio explicata eſt, tum in lege quæ de omnibus magiſtratibus, in commune deſcripta eſt, ſimul & ex imperatoriis noſtris mandatis, quæ ei dabimus cum adminiſtrationis codicillos conferemus, & jusjurandum ſecundum legem noſtram in hoc conſcriptam exigemus, manifeſtabitur.

EPILOGUS.

† Hæc igitur omnia perdiſcens excellentia tua, & tam magnas illi annonas ſubminiſtret, & ita ipſum ſciat amplæ dignitatis effectum, ut floris & dignitatis hoc a nobis tempore in illum collatæ cupiditate merito multis ipſum conſequi ſit affectabile.

TIT. IX.

DE PROCONSULE [15] CAPPADOCIÆ [16].

NOVELLA CONSTIT. XXX.

Imper. Juſtin. Auguſtus Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

QUam amplum nomen [17] Cappadocum gens habeat, & quanta Romanis negotia exhibuerit, priusquam in illorum ditionem redigeretur, non ignorant veteris eruditionis ſtudioſi. Certe olim totius ferme Ponti imperium tenuit, & nominatiſſimi viri, inque magna apud Romanos reputatione habiti inde *orti valde floruerunt*. Terram præterea habet diffuſam admodum, & mirabiliter præſtantem, & quæ ita majeſtati imperatoriæ placuerit, ut etiam poſſeſſionibus quas illic habet, peculiarem magiſtratum præfecerit, non minorem civili, *ſed potius majorem*. Siquidem & populoſiſſima eſt, & urbem maximam præbet ejusdem cognominis cum chariſſimo nobis Cæſare [18], qui ſummo orbis terrarum arbitrio, quod nos obtinemus, bonum dedit principium: qua etiam de cauſa apud omnes terræ populos nominatiſſimum Cæſaris nomen eſt, & nos præter omnes alias imperatoriæ majeſtatis notas eo gloriamur.

CAP. I.

HAnc ſane regionem parvo tradere magiſtratui contra omne nobis decorum & dignitatem fore viſum eſt, cum alias tum vero maxime, quia ſemper ipſam adverſus magiſtratum noſtris domibus præfectum ſeditiones movere cernimus, & quia factionibus [19] inter ſe diviſa eſt civitas, quarum alteram *Tamiacam* [20], quaſi fiſcalem & ærariam: alteram *Eleuthericam*, hoc eſt liberam appellant: & cum exiſtat ambitu murorum una, duplex eſt ſententiis. Unde & ſeditionum & diſſenſionum occaſiones, & ſi quid omnino mali fatigat homines, (uti nos arbitramur) ex hac provenit cauſa: qua ſublata, robur ſimul & concordiam negotio addemus, qua [21] nihil unquam inter homines præclarius exiſtit, & præſtantius. §. 1. Ac cum aliis magiſtratibus, quos nuper inter Piſidas [22], Lycaonas [23], Thracas [24], inſtituimus, adminiſtrationis forma & acervus ex duarum rerum congreſſu conſtitit: tum vero majore hunc forma adornare cupientes, tertiam etiam poteſtatem illi adjicimus. Nam is quem huic præficiemus officio non ſolum præſidebit legibus, & univerſæ cohorti civili: ſed etiam præſidebit militibus tam qui in prædicta regione, quam qui in aliis Pontici tractus provinciis, in quibus Tamiaca [25] exiſtunt prædia, ſtationes habent, perinde quaſi per ea loca ſuper milites cum imperio poſitus ſit. Permittimus etiam illis in homines [26] Tamiacos imperium [27]: & omnes quicunque ad Comitianam [28] prius cohortem pertinebant, ſive *Summarii* [29] ſive id genus alii fuerunt, hiſce obtemperabunt: & triplici [30] forma conflatum habebit magiſtratum: ſiquidem & civilis magiſtratus erit & militaris, neque non Tamiacis quoque rebus præſidebit: utraque illi cohorte, tam Comitiana, quæ & ſua conficiet, neque cum civili cohorte habebit commercium, quam clariſſimi provinciæ præſidis apparente. Univerſam vero proconſularem fieri appellarique volumus: utraque cohorte, tam quæ Comitiana prius, quam quæ civilis vocabatur, tametſi unam appellationem (nempe proconſularem) obtinet, ſeparatim tamen ſua obeunte munera: ut civilis quidem curet tributaria & civilia, quæ initio ſemper ad ipſam pertinuiſſe ſcimus. Quæ vero Comitiana prius cohors erat, imperialium rerum adminiſtrationi inſiſtat, & exactionem conficiat, ea ſcilicet forma quam modo explanabimus.

1 Dixi ad *Nov.* 28. *c.* 8. 2 Præfectis, vicario non eſt opus. 3 *Nov.* 8. *c.* 1. *Nov.* 17. *c.* 1. 4 Προφάσει τοῦ καλουμένου σουφφραγίου. vid. *l. unicam Cod. de ſuffragio.* 5 *Nov.* 28. *c.* 6. 6 Prætor Paphlagoniæ duplicem habet poteſtatem, Paphlagoniæ ſcilicet & Helenoponti. 7 Strategum Paphlagoniæ obſerva. 8 Prætor Paphlagoniæ ſpectabilis. 9 *Nov.* 28. *c.* 5. §. 1. 10 Pœnæ genus obſerva: titulum injuſte adfixum alicui prædio, in caput curatoris ipſius prædii infligi & comminui. adde *Nov.* 28. *cap.* 5. §. 11 *d. Novell. c.* 6. 12 *Novell.* 8. *c.* 13. 13 Μηδὲν ἐν μικρῷ καθεστάναι μέγα. 14 Ἀπογραφὴ, notitia. 15 Præſidem vocat *Nov.* 8. *c.* 15. §. 24. & 25. *Nov.* 20. *c.* 2. ubi fit mentio præſidis Cappadociæ primæ & ſecundæ. Veſpaſianus Conſularem Cappadociæ rectorem impoſuit pro equite, & legiones addidit propter aſſiduos Barbarorum incurſus. Sueton. *Veſpaſiano c.* 8. 16 Περὶ τοῦ ἀνθυπάτου Καππαδοκίας. Scrimg. & 6. *Eclog.* 15. De officio proconſulis Cappadociæ, vide Jul. *cap.* 85. 17 *Novell.* 20. Cappadoces ſuo tempore imperium aliquod habuerunt, Medis poſtea ac Perſis paruerunt. *Herodot. Xenoph.* victi a Philippo. *Juſtin. Oroſ.* De regibus Cappadociæ, vid. Diodor. 31. adde Strab. 12. ubi refert, quam late Cappadoces imperarint. 18 Cæſaream intelligit, quæ olim Mazacha (a Meſek filio Japheti, ut quidam volunt) mater urbium Cappadociæ, teſte Solino *c.* 47. Cæſaream, de qua nunc agimus, nobilitavit ſuo Epiſcopatu Baſilius cognomento magnus ſub Valente. 19 Factiones in Cappadocia erant duæ, Tamiaca & Eleutherica. 20 Tamiaca prædia, poſſeſſiones patrimonii principis, vid. *tit. C. de præd. Tamiac.* 21 Concordia civium, nihil inter homines præſtantius. 22 *Novell.* 24. 23 *Novell.* 25. 24 *Nov.* 26. 25 Facit *l.* 6. *C. de oper. publ.* 26 Tamiaci homines, qui tractant patrimonium principis. 27 Proconſul Cappadociæ in homines Tamiacos habuit imperium. 28 Id eſt, comitis domorum, cui ſuberant Tamiaci, vid. *l. ult. Cod. ubi cauſæ fiſcales.* 29 Σουμμάριοι. *c.* 7. §. 1. *J. hic.* ita dicuntur ab æſtimationibus & ſummis rerum faciendis, quarum exiſtimantur periti. adde *Novell.* 64. Cic. 12. *ad Attic.* 30 Proconſ. Cappadociæ civilem, militarem & in Tamiacos poteſtatem habuit.

CAP. II.

CUratorum [1] etenim & tractatorum [2] ne nomen quidem omnino ſupereſſe volumus, reſpicientes ad vetera exempla, & nimiam læſionem quam miſeris illi collatoribus induxerunt, ſed per ſingulas domos, & totius Comitianæ cohortis, tredecimque [3] primatium, quos primos [4] & ſecundos magiſtros vocant, periculo, alios tredecim, qui ſtatim poſt illos ſeparati ſint, nominari volumus, ſingulos (ut dictum eſt) ex ſingulis ædibus: & poſt priores tredecim exactioni incumbere, & ſervare fiſco quæ ſua ſunt: proſpicere item collatorum indolentiæ, & ne quid ab aliquo ipſorum damni ſuſtineant: ſcientes quod damnum ex cauſa collatoribus irrogatum, multo magis ipſorum facultates reſpiciet, cum totius publicæ exactionis periculum ad ipſos devolvatur. Sed neque eos qui primi & ſecundi prius magiſtri vocitabantur, neque tredecim illos qui poſt ipſos modo ſeparati ſunt, quos profligationem [5] tributorum facere ſanximus, quidquam omnino ſpectabili pro tempore Proconſuli præbere vel nominationis titulo, vel quacunque alia de cauſa: ſi quinquageni ſolidi aurei ab unoquoque horum tredecim exactorum primoribus tredecim magiſtris præbeantur.

CAP. III.

POrro neque ipſos exactores [6] amplius aliquid a ruſticis aut denique iis qui ab iis exactionem tolerant, accipere, quam quæ *formis* [7] *Nicetæ* magnificæ memoriæ continentur, & exactoribus deputata ſunt, nequeuntibus ipſis nomina fingere & damna pro hiſce nominibus inducere per cauſam *Aſpacticon* [8], ſeu tractatoriarum, vel quocunque alio prætextu, ſive ad aliquam conſuetudinem, ſive ad quamcunque vexationem porrigatur: cum enim ab omnibus illis collatores noſtros liberos conſervari volumus, tum improbo etiam & pernicioſo tributo eos liberamus, quod pendebant tractatoribus, per quod fiebat ut circa publicum, & ſuas deſcriptiones idonei non eſſent. quin & ſi forma aliqua ſit pragmatica, quæ velit tractatoribus aliquid præberi, aut longa conſuetudo: etiam hanc tollimus. ſublato enim ipſo nomine tractatorum merito quidquid ad eam cauſam pervenit una ſuſtulimus, ſpecialem hanc collatoribus noſtris largitatem impartientes. Quod ſi quis exactorum præter ea quæ forma beatiſſimi Nicetæ definita ſunt, quæ ſola ipſos ferre concedimus, aliud quiddam auſus fuerit accipere: ſciat tam militia ſe, quam dignitate & ſua ſubſtantia caſurum.

CAP. IV.

QUoniam vero fieri poteſt, ut inter tredecim exactores (ſiquidem ut gradatim [9] ad hunc perveniant ordinem, ſancimus,) unus aliquis ad expediendam exactionem idoneus non ſit: concedimus, ut ſic quoque reditus quidem ex eo gradu ſalvus illi permaneat. Cæterum ſancimus, ut tredecim illi primores magiſtri, & inſuper qui poſt ipſos ſunt proximi proprio bonorum ſuorum periculo alterum quempiam illi *Adjutorem* adnominent, qui convenienter pro illo exactionem expediat: ut neque per illius imbecillitatem injuria afficiatur fiſcus, neque ille temporis & gradus ſui ſolatio defraudetur, promotione videlicet adjutoris ejus, qui ad hoc munus idoneus non eſt, facienda, periculo (ut dictum eſt) tredecim primorum magiſtrorum, & aliorum qui poſt illos ſunt proximi. Ac magnas merito nobis gratias publicorum tributorum exactores [10] habere oportebit, qui ingentibus illis damnis quibus antea tam magiſtris quam ſpectabili pro tempore comiti, ejusque cohorti obnoxii erant, eos liberaverimus, propterea autem hiſce omnibus eos liberavimus, ut neque ipſi collatores noſtros injuriis opprimant, neque [11] prætextus excogitent introitus illos aut aliter nominantes, quibus ruſticorum facultates enervent: ſed his ſolis contenti quæ ſecundum formam Nicetæ claræ memoriæ curatoribus præbebantur, omnibus aliis abſtineant.

CAP. V.

IPſi vero ſpectabili proconſuli omnium ex æquo rerum cura imminebit, ſive civile aliquod ſit, ſive ad militarem magiſtratum, ſive ad poteſtatem Tamiacam reſpiciat, neque quidquam omnium negliget. Ac quoniam majorem huic loco, quam cæteris magiſtratum attribuere volumus, & veteribus Romanis in more fuit, ut vel deſignatis conſulibus, vel his qui illorum loco proficiſcerentur, quos proconſules vocitabant, provincias ſortirentur: propterea & Cappadocum magiſtratum proconſulatum eſſe volumus, quo in Africa [12] prius Romani imperium ſuum exornarunt. Et in tantum illum nos magiſtratum auximus, ut eum qui hunc ſuſcipit, glorioſiſſimis ſacrorum noſtrorum prætoriorum præfectis connumeremus. Appellatorque patria [13] lingua is qui huic præſidet, *Proconſul Juſtinianeus Cappadociæ*, ut & appellationem magiſtratui propriam habeat, & ſimul ex re ipſa archegetes [14], quaſi primarius magiſtratus nominetur: ſuſceperit enim is qui hunc magiſtratum obtinet facile talem formam, quando & poteſtatem per ſe magnam, & per cauſam Tamiacæ poſſeſſionis etiam ad alia loca, protenſam habeat. In ſumma tot rebus hominibusque præſidens dignitate & auctoritate affluet, adjunctisque militaribus copiis omnia diſponet minore negotio. Civiles igitur res conficiet more ſolito: militaribus vero & ipſis commode præibit, nempe & illis ſe ipſi ſubmittentibus. §. 1. Sed cum primis animum advertito ad rerum Tamiacarum adminiſtrationem, quæ in tam gravem & omnium cauponationibus expoſitam inopiam delapſæ ſunt, ut in nullo fere amplius pretio exiſtant. Tot tantaque enim edocti ſumus per provinciam delinqui quæ vix ampliſſimo cuique adhibita medicina curare facile eſt. Nam qui potentium poſſeſſiones procurant (ſed pudet nos jam propemodum dicere) quanta cum inſolentia paſſim oberrant, ut ſtipatores [15] illis inſerviant, ut non ferenda hominum multitudo ipſos ſequatur, ut impudenter omnes latrocinentur: miramurque ſedulo, quomodo eo loci ſubditi, tot perferendis injuriis ſuffecerint. Inde adeo quotidie Cappadocum injuriis oppreſſorum multitudo occupatos nos & rempub. tractantes adit, ex quibus multi ſacerdotes, plerumque mulieres, qui omnes lamentantur, queruntur que res ſuas ſibi ablatas eſſe, quando nemo in proximo ſit, qui hujusmodi prohibere valeat. Tamiaca [16] certe poſſeſſio jam [17] pene in formam privatæ redacta eſt, tota convulſa, direptaque una cum ſuis equitiis [18], nemine omnino reclamante, ore ſcilicet ipſis auro obſtructo.

CAP. VI.

HIs igitur de rebus unum aliquem ex perſpectiſſimis nobis regioni huic præficere decrevimus, qui triplici [19] huic ordini præſit, ſolus omne in ſe imperium & poteſtatem circumferens, civilis officii utens inſignibus, habens in uſu vehiculum [20] ex argento, ſecurim, faſces, & quæcunque olim proconſularis imperii fuerunt inſignia: præcipiet autem & militibus & curam geret Tamiacorum redituum, ut ſine ullo detrimento & ceſſatione omnibus ad hoc ordinatis magiſtratibus obveniant, multoque magis ad noſtrum palatium, quemadmodum etiamnum occaſione eorum quæ vel nobis, vel ſacratiſſimæ & pientiſſimæ Auguſtæ conjugi noſtræ inferuntur, tam in auro quam veſte ingrediantur: nihil enim illinc volumus decedere. §. 1. Non tamen ut ea forma præbeantur, qua hactenus, ex rapinis ſcilicet, & ex titulo læſionis dationisque collatorum, (hæc enim omnia tum odio proſequimur, tum e noſtra ejicimus republica) ſed ex juſtis legitimisque cauſis, quas ſubjici ſacræ huic noſtræ legi juſſimus, ut eas ferens is qui pro tempore hunc gerit magiſtratum ſacratiſſimæ Auguſtæ conjugi noſtræ *quinquaginta* auri libras, prout dictum eſt, inferat. Magiſtratum etenim gratis nos creamus: & ordinationes ejus absque omnibus procedere largitionibus ſancimus: neque quisquam erit, qui pro hac quidquam capiet. §. 2. Sed & annonas quidem ad viginti usque auri libras damus, prout ſubjicitur: adſeſſori vero ejus præbemus ad duas auri libras: capiet item utraque cohors id quod usque adhuc e publico ſuppeditabatur, nullo prorſus modo deminutum: nulla enim re hunc magiſtratum minuimus: & maxime [21] glorioſiſſimi præpoſiti ſacri noſtri cubiculi [22]: ſi quidem & hunc & ſuppoſitam ipſi devotiſſ. Palatinorum ſcholam in Cappadocia ſimili cum poteſtate, ordine & figura manere ſancimus: non tamen quicquam exinde ferentem vel conſuetudinum vel annonarum titulo, vel in auro, vel in veſte, vel in aliis ſpeciebus, neque a *ſpectabili* pro tempore proconſule, neque ab ejus cohorte: nam aliter puritas conſervari nequeat, ſub unum enim magiſtratum, quidquid in ea regione geritur, contrahimus, ne convulſione ipſa claudicet.

CAP. VII.

SAne Tamiacæ poſſeſſionis curam [23] & rationem magnam habebit is ipſe, qui ad hoc a nobis officium proficiſcitur: & circumſpiciet, ſi quid e Tamiaco ſolo detractum, & fruſtra ab aliis detentatum ſit, ſive [24] in paſcuis, ſive in arvis, ſive in locis vitibus conſitis, ſive in prædiis, ſive domibus, & vetus ſolum rebus ſuis vindicabit, nulla longi [25] temporis præſcriptione illi opponenda, neque [26] enim fiſco licet tale quid opponere, neque lucrum captans, ut maxime patrimonium ſuum exinde collocupletet: nam depauperatio [27] potius eſt, quam locupletatio, ſi quis ſordidis utendo manibus arbitretur ex eo lucrum ſe facere, quod multifariam cum impietate & ſummo probro reſtituet [28].

§. 1. Sed & ipſam urbem ab omni prorſus perturbatione quietam conſervabit, neque committet, ut ſeditio [29] aliqua ordinem & adminiſtrationem reipubl. corrumpat. Publica quoque tributa [30] vigilanter & cum juſtitia exiget, nihil in illis curæ prætermittens, neque concedens, ut aut fiſcus, aut privati in aliquo circa res ſuas damnum ſentiant: ut qui ex æquo in omnes imperium obtineat, ſive milites ſive ſcriniarii ſint, tam glorioſiſſimorum præfectorum, quam magnanimorum magiſtrorum militiæ, ſive in civili cohorte numerentur, ſive cingulum Tamiacum geſtent, ſive in majoribus ſive minoribus dignitatibus conſiſtant, ſive inter ſacerdotes cooptati ſint. Unus enim hic magiſtratus omnibus præficietur: & tam ſuæ ipſius exiſtimationis, quam noſtrarum legum, & ante omnia Dei memor, ut publica quidem tributa per proconſularem cohortem ſine detrimento & ceſſatione importentur, curabit: reditus vero Tamiacos per ſubditas prius illi throno perſonas inferet, intendens etiam ad ea quæ pro conſuetudine præcipiuntur a glorioſiſſimo præpoſito ſacri noſtri cubiculi, nequeuntibus ipſis canonicariis [31], qui pro tempore a glorioſiſſimo præpoſito emittuntur, vel ſaltem obolo tenus aliquid accipere, vel conſuetudinum nomine, vel quacunque alia de cauſa, vel [32] ab ipſo pro tempore ſummario [33], iisve qui publicas exactiones conficiunt, vel a ſpectabili proconſule, vel ejus cohorte, vel his qui *Kataſceuaſtæ* [34], quaſi inſtructores, vocantur, vel præpoſitis, vel quacunque alia perſona ad ſacrum noſtrum pertinente patrimonium. At vero exercitu utrique harum ſolicitudinum opem feret, ſedabitque potentium ſatellites, neque committet ut loca depopulentur, & latrociniis infeſta reddant: neque ipſe ea percurret, quemadmodum prius facere ſolebant comites. Ne-

1 Epitropi & tracteutæ non ſint. Julian. 2 Τρακτευτῶν, Tracteutæ *Nov.* 128. *cap.* 24. *in fin.* Jul. Dicuntur etiam tractores, *l. ult. C. de executorib. lib.* 12. & παρακομισταὶ Gloſſariis, curam eos egiſſe τῆς εἰσπράξεως τῶν δημοσίων φόρων liquet. Tractores ergo ſunt, qui tractant & adminiſtrant prædia fiſcalia, Briſſonius. Sed tamen Cujacius *ad l.* 3. *C. de canon. largitional. tit.* tractatores & chartularios pro iisdem dici notat. Quid tractatoriæ, vid. *Cod. de tractatoriis & ſtativis, l.* 12. *tit.* 52. 3 Tredecim magiſtri. 4 Primi & ſecundi magiſtri. 5 Αννσιν. 6 Canonicarii hi mittebantur a præpoſito, Julian. *hic in fin.* & *n.* 86. *in fin.* 7 Τοῖς τύποις. Formæ ſunt velut Edicta vel leges præfectorum prætorio. 8 Ἀσπαστικῶν τὸ ἕνεκεν ἢ τρακτευτικῶν. ἀσπαστικὰ, ſalutatoria. 9 Gradatim honores deferendi *ut hic l. ut gradatim.* 11. *ff. de muneribus.* appellationes quoque gadatim faciendæ, hoc eſt, ab imis per medios ad eos, qui ſummi ſunt, judices. *Nov.* 23. *c.* 4. *in fin.* Gradatim ita præſtatur, quod familiæ relictum eſt, *l. ſuggeſtioni.* 5. *C. de verb. ſign.* 10 Δημοσίων πράκτορας. 11 Μηδὲ τὰς προφάσεις ἐκείνας ὡς εἰς ἐπήρειαν ἐπινοοῦντες, Introitus τε καὶ ἕτερα ὀνομάζοντες, neque occaſiones illas in damnum excogitantes introitus, aut ſimili alio nomine appellent. 12 Id eſt, Carthagine, quæ, ut Sextus Ruffus ſcribit, prima fuit proconſularis provincia, & ſimpliciter *proconſularis provincia* cum dicitur, hæc dicitur, & *proconſul* quoque per eminentiam, Africæ proconſul. Vid. Cujac. *hic.* 13 Id eſt, Latina. *Nov.* 22. *c.* 2. 14 Hæc verba, quæ ſequuntur, ſunt interpretis, ἀρχηγέτης princeps, ἀρχηγετεύω, ἀρχηγετέω, ἀρχηγετόω. 15 Δορυφόροι. 16 Id eſt, res patrimoniales principis. 17 Tamiacæ poſſeſſiones a forma rerum privatarum differebant. 18 Equitia, ἵππων ἀγέλαι, equorum armenta & greges. Cappadocia altrix equorum & proventui equino accommodatiſſima. Solinus *cap.* 47. *Jam paſcua fumant Cappadocum, volucrumque parens Argeus equorum.* Claudianus 2. *in Rufinum.* Argeum autem montem præruptum Cappadociæ intelligit, de quo Solinus *d. loco.* 19 Suſtinet enim munus duorum olim præſidum Cappadociæ, & comitis domorum in eadem Cappadocia. 20 Ὄχημα τ' ἐξ ἀργύρου, carrucam argenteam, Jul. *hic n.* 85. §. 2. adde *Nov.* 24. *c.* 4. 21 Cubicularii regum vel principum hæc notanda ſunt, nam ſi quæ privilegia minui oportebit, cubiculariorum principis privilegia poſtremo loco minuentur. 22 Τῶν θείων ἡμῶν κοιτώνων. hoc ideo dicitur, quia deputati erant Tamiaci reditus cubiculo & cellario ſacro, id quod proprie ταμεῖον eſt. 23 Vid. Julian. *hic, n.* 86. 24 Nota in quibus conſiſtebant prædia Tamiaca. 25 Temporis prolixitas publico non nocet. Jul. *hic.* 26 *l.* 6. *C. de oper. publ.* 27 Ἐλάττωσις. 28 Non ita turpe eſt non locupletari, quam male accepta reſtituere. 29 Seditiones a præſidibus provinciarum compeſcendæ, *l.* 13. *ff. de off. præſid.* 30 Ut tributa juſte exigantur, ad notionem præſidum pertinet. 31 Id eſt, actoribus. 32 Παρὰ τοῦ κατὰ καιρὸν σουμμαρίου. 33 De ſummariis dixi *c.* 1. *ſupr. hic.* 34 Κατασκευαστῶν.

que item in locum ſuum dimittet vicarios [1], ſed locorum defenſoribus & cohortalibus ſuis ad id miniſterium obeundum utetur. §. 2. Sicubi [2] vero & militibus opus erit, ex iis locis milites, ubi neceſſitas poſtulat, opitulari jubebit, atque hi propriis ipſi ſumptibus expedient, neque ſubditos damnis involvent, aut gratis ulla ex parte ſumptus facient, ſed tam ipſe his abſtinebit, ſumptum de ſuo faciens, ubicunque tandem erit, quamvis ad aliam ipſum proficiſci regionem jubeamus, quam etiam adſeſſor ejus, & reliquum famulitium, ſive ex proconſularibus ſive ex militibus, quamvis ſervile etiam aut ſubjugale [3] aliquod omnes hoſce ſequatur, neceſſitatem habentibus (ut prædiximus) militibus & quicunque alii ibi locorum habitant, ſcholares forte aut domeſtici, ut illius juſſionibus obtemperent, ſinguli & ſubſtantiæ ſuæ periculum reverili: damus enim ei poteſtatem, ut hæc illis adimat [4] niſi ejus juſſis pareant, propterea quod eum qui hunc magiſtratum obtinet, velimus formidabilem ſubditis, & verendum exiſtere. Etenim ſive [5] miles, ſive proconſularis, ſive ſcholaris, ſive domeſticus per cauſam illius juſſionum damni aliquid collatori noſtro irrogaverit, conveniens eſt, ut ipſe hoc ex illius annonis proprio periculo recepto, injuria affecto medeatur. Poſtremo neque illi eorum qui ex hac urbe [6] eo commeant, collatores noſtros injuria tentari permittet. §. 3. Sed & curſum [7] publicorum equorum illæſum conſervabit. *Nihil enim ab ipſius juriſdictione excipimus.* Et ſi quis ex quocunque judicio ad eam regionem commeantium injurius erit, & ultra deputatum & conſtitutum exegerit, hunc perſequetur.

CAP. VIII.

Curam autem geret etiam civitatis, & eorum [8] quæ ad frumentationem [9] publicam pertinent, & ſitonica appellantur, operumque [10] ejus, & procurabit, ut ſecundum legem noſtram ratiociniis [11] concinnentur, & tam Tamiaca quam civilia inſumantur. Et ſi [12] quem eorum qui ſolita illas juſſiones inſinuare conſueverunt, nempe quod aquarum aliquis ductus impediat, & quod quæ muros concernunt diffundantur, aut quia pontes aliqui ſint per provinciam, aliave itinera, aut alia denique ejuſmodi exſiſtat occaſio, prout improbe olim fuit in uſu habitum, penitus ipſum provincia expellet, nec permittet ut vel juſſionem ejuſmodi inſinuet, vel per hanc cauſam quidquam omnino lucri capiat. Nam ſi nobis viſum fuerit ejuſmodi inſpectionem operum celebrari, ſacra pragmatica forma uſi ad eum qui hunc geret magiſtratum, communicato præterea de his cum throno tuo conſilio, rem ipſam nos diſponemus, ne cui facile ad ejus generis pecuniarum exactiones pateat aditus & acceſſus. Omnia quoque quæ audierit *improba*, prohibebit is qui hoc magiſtratu defungitur. Quod ſi vehementiore aliquo & aſperiore opus erit, certiorem ea de re faciet tam excellentiam tuam, quam glorioſiſſimum præpoſitum, & alios celeberrimos magiſtratus, quibus ad talem rem conficiendam aliquid adeſt facultatis: nos denique ipſos, & nos illi, quid facto opus ſit, explanabimus. §. 1. Titulos [13] vero prædiis apponere per provinciam cui præſidet, continentes certorum hominum appellationem, excepto nomine majeſtatis Imperatoriæ aut Tamii, hoc eſt ærarii, in tantum prohibebit, ut patrimonium eorum, qui tale quid perpetrare moliantur, in publicum redigat, & [14] manus [15] abſcindat eos imponentibus, ſi præſentes forte id auſi fuerint: ſi vero procuratores abſentium, ingentibus illos tormentis ſubdet. Titulos certe quicunque tandem affigere auſi fuerint, ſive præſentes, ſive abſentium procuratores, detractos protinus ad [16] capita eorum qui affixerunt, infringet: ſciens fore, ut ſi id factum cognitum neglexerit, ipſe bonorum ſuorum publicationem ſentiat.

CAP. IX.

Juri dicundo cum ſumma animi intentione & cura incumbet, neque (ut hactenus) ruſticanos [17] homines ſinet injuriis opprimi. Neque amplius negotia nobis hic faceſſent Cappadoces, magno cum clamore ſupplicantes & lamentantes, ſed ipſe judicem ſe illis & diſceptatorem præbebit. Nam ſi quem huc advenientem viderimus, qui non prius apud ipſum calamitates ſuas lamentando explicuerit, hunc nos denuo cum increpatione mittemus in provinciam, propterea quod relicto [18] magiſtratu provinciæ, continuo ad nos decurrit. Si vero cum eos qui injuriam intulerunt, conveniret, ipſe commeſſationibus deditus & luxuria perditus, illorum ſe orationibus non accommodaverit, ſed ſupplices plorare permiſerit, hique ad nos cogantur decurrere, & maxime [19] ſi mulieres ſint, neque edocti fuerimus, quod hi quidem adierint, ille vero injuriam ultus non eſt, prout is negotium ut ſuſpectum [20] habebimus, quaſi propter lucrum, vel per gratiam, vel aliquorum obſequium factum, & nos ipſos illi prorſus opponemus, & cum triplicem magiſtratus functionem gerat, tripliciter quoque [21] illi reſiſtetur, tam ipſo jure, quam nobis, & legibus eum oppugnantibus.

§. 1. Quæ ipſum reveritum, memoria item repetentem præcepta noſtra, quæ illi una cum codicillis magiſtratus dabimus, (appellabant autem ea majores Mandata [22] Principis) convenit omnia ſecundum legem noſtram agere utentem in cognoſcendo æquitate [23], in rebus gerendis puritate, ubique colentem juſtitiam [24] ac inter homines nunquam extitit rebullus aut pulchrius, quodve Deum & imperatorem placare conciliareque magis poſſit. Talis enim ipſe cum ſit, ita noſtro opere teſtimonio comprobatus: volumus ut ſolus omnia in provincia conficiat, neque cauſas audientiam alio quopiam præbente, neque nobis facile vel in eam venturis ſententiam, ut alicui alii haſce de-

legemus, vel occaſione cohibendarum violentiarum, ſeu quacunque alia de cauſa emiſſuris aliquos: ultra hoc, quod tametſi tale quiddam vel ſacris noſtris formis, vel ex magiſtratuum juſſionibus hactenus factum eſt, omnibus id vacaturum ſit modis, ipſo totius provinciæ adminiſtrationem ſuſcipiente, neque ulli omnino, ut acceſſum eo habeat, permittente.

CAP. X.

Porro [25] autem hunc quoque magiſtratum, prout [26] proconſulum proprium eſt, inter [27] ſpectabiles ponimus, appellationeſque [28] ab quæſtore ſacri noſtri palatii in forma & habitu conſtitutionum diſceptare. Si quæ [29] vero alia in Cappadocia cauſa minor aureis quingentis per provocationem ſuſpendatur, ſive noſtro ſive alicujus magiſtratus juſſu datus judex fuerit, qui tamen non ſit ſpectabilis: hunc ſpectabilis ipſe proconſul in forma ſacri conſiſtorii & vice ſacri auditorii accommodabit audientiam: ſiquidem & hoc illi jus addimus, decoramuſque illi magiſtratum tam amplo privilegio, quantum nullus in hunc diem in Cappadocia obtinere viſus eſt. Eſto igitur juſtus & elato animo, & tam nos [30] quam legem præ oculis habeto: cognoſcitoque, quod ſi ſtrenue ita exequetur, longiore [31] tempore in hoc officio permanebit, & majore ipſum alius forte magiſtratus excipiet. Cæterum ſi noſtris juſſionibus neglectis potentiores aliquos, non legem aut nos colat & veneretur: tum primo quoque tempore iis, quæ commiſerit, pœnas [32] det, tum de cætero inter contemnendos habebitur, indignus noſtro viſus judicio.

CAP. XI.

Adulteria [33] vero & raptus virginum, & immoderatas illicitaſque [34] homicidia, & ſi quid ejuſmodi delictorum eſt, ita acerbe puniet, ut [35] paucorum nominum ſupplicio omnes reliquos continue caſtiget, ſecundum legem exquiſitius delinquentium caſtigator; neque enim inhumanitas hoc, ſed potius ſumma quædam humanitas eſt, cum multi paucorum animadverſione ſalvantur. Quod ſi quem hoc nomine in crimen vocatum ſuſtineat, qui vel cinguli, vel dignitatis, vel ſacerdotii, vel ejuſmodi alio prætextu ſperet ex illius ſe manibus ereptum iri: certo ſciat quod noſtro judicio indignus videbitur. Nemo enim quacunque potentia ſua fretus, quodcunque alienum prætendens patrocinium [36] in talibus delictis ſeveritatem legis effugiet. Quin potius ſi quis talibus ſe patrociniis auſus fuerit immittere, ſimilem cum delinquente pœnam, & ipſe ſuſtinebit: idem cum ſit, ipſum aliquem delinquere, & eum qui talia peccavit & deliquit, velle de manu legis eripere [37]. §. 1. Subjicietur autem legi & deſcriptio [38], quæ ſignificet, quid ipſum, eoſve qui circa ipſum ſunt, e publico capere: quid item vel occaſione codicillorum dare, vel ſacratiſſimæ Auguſtæ conjugis noſtræ piæ domui inferre conveniat: trifariam videlicet inferendis iis *quinquaginta libris auri*, prout jam inde ab initio & in hunc uſque diem obtinuit. §. 2. Et ſubditis noſtris (id quod ſæpe diximus) pure utetur. quæ res ſummo a nobis ſtudio habita effecit, ut magnas etiam opes deſpexerimus, quamquam in tot ſumptibus & magnis bellis, per quæ Deus nobis dedit, ut non ſolum pacem ad finem deduxerimus, & Vandalos, Alanos [39], Mauritanos ſubegerimus, & totam Africam [40], inſuper & Siciliam recuperaverimus: ſed & bonam ſpem habeamus, quod Deus nobis annuet, ut & cæteras gentes [41] quas ſocordia ſua Romani amiſerunt, cum ad utriuſque Oceani terminos tenerent, iterum ditioni noſtræ adjungamus, quas nos divino freti auxilio, ad meliorem ſtatum redigere properamus: neque quidquam detrectamus eorum quæ vel ad extremam pertingunt difficultatem: vigiliis ſimul, & inediis, cæteriſque laboribus, jugiter pro ſubditis noſtris, ultra quam humanæ naturæ modus patitur, utentes. Perleget etiam mandata noſtra, quæ illi dabimus una cum codicillis magiſtratus, quemadmodum ante diximus. Et ſi quidem omnia ſecundum illa peregerit: & admirabilis futurus eſt, & undique dignum ſe noſtro exhibebit imperio.

EPILOGUS.

† Hæc igitur omnia quæ per hanc exprimuntur legem cognoſcens excellentia tua, & prædictas annonas hujus officii throno præbeto: & ita ipſum ſcito amplum effectum, ut collati modo in ipſum floris & dignitatis cupiditate, multi merito hunc conſequi affectent [42].

TIT. X.

DE DESCRIPTIONE [43] QUATUOR [44] PRÆSIDUM ARMENIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXXI.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſimorum ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

Perperam effuſeque [45] poſita, ſi ad competentem perveniant ordinem, & belle diſponantur: aliæ propemodum res apparent, ſpecioſæ pro turpibus, ornatæ pro incultis, articulatæ diſtinctæque pro incompoſitis prius & confuſis. Quod cum & in Armenia admiſſum deprehenderimus, putavimus & ipſam ad congruentiam quandam & unam harmoniam collocari debere: quo magis ex bene conſtituta ejus moderatione & competens illi robur addamus, & decentem imponamus ordinem.

1 Julianus c. 87. 2 Julianus ibid. 3 Subjugalium nomine jumenta intelliguntur. 4 Præſides juſta de cauſa apparitores ſuo officio poſſunt privare. 5 Pœnæ ſcholaris & domeſtici proconſuli non obtemperantis. 6 Conſtantinopoli, Julianus. 7 Curſus publici cura ad præſides etiam pertinebat. addit & hoc Julianus de hoc proconſule Cappadociæ, veredorum diſpoſitiones ſub jure ejus diſtinctione eſſe. 8 Julianus ibid. 9 d. l. 1. §. 1. ff. de off. præf. urb. 10 Nov. 24. c. 3. Nov. 25. c. 4. §. 1. l. 7. §. 1. ff. de off. procons. 11 Ratiocinia, λογισμοί. 12 Julianus c. 88. 13 Novell. 25. c. 5. §. 1. adde tit. Cod. de his qui potent. nom. tit. &c. &, ut nemo privatus tit. &c. ad nomini liceat ſine judicis auctoritate, Jul. cap. 89. 14 Pœna privatos titulos rebus alienis apponentis. 15 Julianus d. c. 89. vid. Nov. 17. 16 De pedis amputatione dixi l. 3. C. de ſervis fugitivis. Nov. 28. c. 5. & 29. c. 4. 17 Ruſticorum vita patrocinio præſidum indiget, adde Authenticam, Agricultores. Cod. quæ res pignori. 18 Ordinario relicto, ad extraordinarium judicem ire non oportet. 19 Mulierum cauſæ favorabiles. 20 Si quis injuriam patitur a ſuo præſide, præſes præſumitur corruptus. 21 Triplicem dignitatem obtinens, peccando triplices adverſarios ſortitur: jus, principem, & leges. 22 De quibus vide Nov. 17. 23 Æquitas & puritas judicem decet. 24 De laude juſtitiæ dicam ad Nov. 69.

25 Julianus d. c. 89. 26 Proconſules omnes, ſpectabiles. 27 Proconſul Cappadociæ ſpectabilis. 28 Appellatur a proconſule Cappadociæ ad præfectum prætorio & quæſtorem. 29 Julianus c. 90. 30 Objecta magiſtratuum præcipua. 31 Spes optimi magiſtratus. 32 Pœnæ judicis injuſti. 33 *l. ult. ff. de off. præſid.* Jul. *d. c.* 90. 34 *l. 6. ff. de off. præſid.* 35 Finis pœnarum. 36 *d. l.* 6. §. 2. adde *tit. C. ne liceat potentiorib. patrocin.* 37 Facit titulus *ff. ne quis eum, qui in jus vocabitur: Edictum Juſtiniani* 13. *c.* 10. *in fin.* 38 Ἀπογραφὴ, notitia. 39 Alanicus inde Juſtinianus. 40 Africanum inde Juſtinianus ſe appellat in multis edictorum inſcriptionibus. 41 Inter quas erant Galliæ. 42 Datum Coſ. Beliſ. *Jul. hic.* id eſt, anno 535.

43 Περὶ τῆς διατυπώσεως τῶν τεσσάρων ἀρχόντων Ἀρμενίας. Scrimg. & 6. *Ecl.* 14. de Præſidibus Armeniæ, *Index Reginæ apud Cujac.* Quatuor Armeniæ qualibus ſint decoratæ judicibus, Julian. *conſtit.* 39. 44 Quatuor præſides Armeniæ hic conſtituuntur. Primæ dat proconſulem: ſecundæ Correctorem: tertiæ Comitem (de quo vide Julianum conſtit. 9.) quartæ Conſularem. *Goth.* Ad hanc Novell. vid. Cujac. *lib.* 15. *c.* 29. *Anſ.* 45 Confuſionis vituperium.

CAP.

CAP. I.

Unde quatuor [1] Armenias fecimus; Unam [2] quidem interiorem, cujus metropolis [3] piæ appellationis noſtræ cognomine exornata eſt, prius Bazanis ſeu Leontopolis dicta, quam etiam proconſulatu honoravimus, cui magnificentiſſimus Vir Acatius præfuit, magiſtratu inter ſpectabiles relato, omnibuſque illi traditis, quæ proconſulatum habere convenit. Nam & ſtola ipſum adornavimus *proconſulari, quæque ad iſtas res pertinent, ea ut habeat, conſtituimus*, & urbes [4] illi adſignavimus, Theodoſiopolim, quam etiam prius habuit: Satalam, & Nicopolim. Colonia quoque ex prima (ut ante vocabatur) Armenia aſſumpta: item Trapezunte, & Ceraſunte [5] ex Polemoniaco prius dicto Ponto: his partim a clariſſimo provinciæ præſide: partim a ſpectabili moderatore ſeparatis: in ſeptem omnino urbes, & quæcunque circa ipſas in proximo ſunt loca, tota provincia redacta. §. 1. Secundum [6] vero ordinem tenere juſſimus eam Armeniam quæ ante prima dicebatur, in qua cæteras præcedit [7] Sebaſtea urbs, attributa illi, & Sebaſtopoli, quam prius quoque habuit, & inſuper Commana [8] ex Polemoniaco prius Ponto dicto: & Zela ex Helenoponto: neque non Briſa: ut ea provincia quinque [9] contineatur urbibus, officio [10] quod Correctorium eſt, in priſtina forma relicto, neque præſide ejus majore aliquo nomine condecorato, ſed ipſo in eodem quod prius habuit, derelicto.

§. 2. Ad hæc tertiam [11] Armeniam inſtituimus, eam quæ prius ſecunda dicebatur, in qua principatum tenet Melitena [12] urbs antiqua, urbs inſignis, in pulchro ſolo, clementique cœlo poſita, neque multum diſtans a fluentis Euphratis fluvii. Hanc nos in præſentia & augendam, & ad formam ſpectabilium [13] traducendam putavimus. Præſidem quoque hujus comitem [14] Juſtinianeum nominandum, dandoſque ipſi pro annonis ſolidos 700. ejus adſeſſori ſolidos 72. & cohorti ejus ſolidos 360. & ut omnia habeat quæ ejuſmodi thronorum propria ſunt. Et qui prius cohortales nominabantur, tum omnia faciant quæ etiam prius, & maxime circa publicam exactionem occupentur: tum ad Comitianorum appellationem tranſeant, perinde omnibus eis conſervatis ac ſi cohortales exiſterent. Urbes [15] vero ei partim Arcam & Arabiſſum, partim Ariaratheam, & alteram Comanam (quam etiam Chruſam [16] appellant) & Cucuſum ſubdidimus, quas & prius habebat e ſex omnimodo conſiſtens urbibus. §. 3. Conſtituimus autem & quartam [17] Armeniam, quæ prius non in forma provinciæ continebatur, ſed e gentibus erat & ex multis barbaricis colligebatur nominibus, Trophaëna [18], Anzethena [19], Ophena [20], Aſteanea [21], Balabithenaque dicta [22], & Satrapis ſubdita. Id vero nomen [23] magiſtratus neque Romanum, neque majorum noſtrorum, ſed ex altero imperio introductum fuit: exornavimus igitur & illam civili magiſtratu & forma, tam civili ibi magiſtratu inſtituto, quam Martyropolitanorum [24] illi urbe, & Cithariza [25] caſtro addito. Conſiſtatque ipſa in forma ordinariorum magiſtratuum Conſularis a nobis facta: ut cum quatuor ſint Armeniæ, duo quidem magiſtratus exiſtant ſpectabiles, nempe alter proconſul, alter comes: & primæ quidem Armeniæ proconſul, tertiæ comes præeat: ſecundæ vero & quartæ ordinarii [26]. Et quia ſummo a nobis ſtudio cautum eſt, ut appellationes intra quingentorum ſolidorum quantitatem non ad hanc almam deferantur urbem, ſed ad proximos ſpectabiles magiſtratus: propterea diſponimus, ut appellationes quæ quidem ex ſecunda Armenia procedunt, hoc eſt, in qua Sebaſtea urbs eſt, hæ ad Armeniæ primæ præſidem, hoc eſt, proconſulem, deferantur: quæ vero ex quarta moventur Armenia, hæ intra dictam quantitatem ad tertiæ Armeniæ *comitem: qui nempe Melitenæ reſidet*, deveniant.

CAP. II.

His ita a nobis ordinatis, inſuper illud etiam determinare juſtum putamus, ut *Primæ Armeniæ* talis vir præficiatur, qui pro amplitudine ſua, & ſpectatiſſimo jam erga nos miniſterio, magiſtratus hujus tam juramento, quam excellenti majeſtate dignus ſit. At cum Thomam magnificentiſſimum virum aliquot jam in Armeniorum regione officiis defunctum, & alioqui frugi hominem eſſe, & nobis *abſque* [27] *fuco* ſemper inſerviſſe, & modo quoque inſervire deprehenderimus, promovemus ipſum ad hujus officii adminiſtrationem, ut non ſolum prædicta a nobis forma ad tempus huic provinciæ præſideat, ſed etiam aliis provideat, quæcunque ei vel per ſacra commonitoria commiſimus, ſive in provincia quam ei tradidimus, ſive in aliis: quod inquam fecimus, ſacris ad ipſum compoſitis commonitoriis de *multis* & diverſis actibus quos ipſum & in aliis regionibus ad effectum deducere æquum eſt. §. 1. Quæ vero ad ſacerdotia [28] ſpectant, ea (ut ſæpe diximus) volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo neque circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem vel novationem ſuſcipiente: ſed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item metropolitanis in ſuo permanentibus ordine: ut quantum ad ipſa nihil penitus innovetur.

CAP. III.

Illud ſane in confeſſo eſt, ex quo *tertiæ Armeniæ* Comitem non tantum civilem, ſed etiam militarem magiſtratum fecimus: neceſſe habere etiam milites qui in ea ſtationes agunt, ut huic ſuppoſiti ſint: licentia illi præbita, ut (quemadmodum militaribus permittitur magiſtratibus) & nomine quemque ſuo evocet, & inquirat, & de ipſorum annonis diſpiciat, & ſupplicio eos perſequatur, ſi quando injuſte egerint: neque committat ut milites in ſubditos noſtros injurii ſint. Quod ſi quid flagitioſius perpetrent, ad inſtar criminalium cauſarum audientiam præbeat, tametſi milites exiſtant, omnia denique agat, quæcunque militaribus attributa ſunt magiſtratibus. Et quemadmodum comiti Iſauriæ [29] & Pacatianæ Phrygiæ [30], & inſuper Lycaoniæ [31], Piſidiæ [32], ac Thraciæ [33], prætoribus militares etiam copias ſubdidimus: ut æque & ipſe non ſolum ad res civiles cohortem, ſed etiam in copias militum poteſtatem habeat & imperium, & cum ſumma auctoritate & amplitudine tam militibus quam paganis facienda præcipiat, omnia agens quaſi uno aliquo officio exiſtente. Inque unam hanc rem providentiam conferat, ne quid per provinciam admittatur flagitii, ſed & ut admiſſum competenter coërceat. Neque hanc illi poteſtatem in ulla omnino perſona, quæ in provincia ſit, detrahimus, ſive paganica ſive militaris, ſive tamiaca ſit: ſub æquabili enim & perpetua pace noſtros tueri ſubditos volumus, non pro diverſitate perſonarum inducentes legum contemptum.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, ea ſecundum deſcriptionem quatuor Armeniarum, & maxime tertiæ, cujus occaſione præſentem ſacram legem tulimus, jam inde in omne reliquum tempus excellentia tua cuſtodire ſtudeto: omnibus quæ ſingulis annis dari juſſimus, per particulares deſcriptiones thronorum tuorum conficiendis [34].

TIT. XI.

NE [35] QUIS [36] MUTUUM DANS AGRICOLÆ, TERRAM EJUS TENEAT, ITEM QUAM MAGNAS USURAS CREDITORES AB AGRICOLIS DEBEANT PERCIPERE.

NOVELLA CONSTIT. XXXII.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Agerochio [37] *clariſſimo præſidi Æmi* [38] *montis Thraciæ.*

PRÆFATIO.

Rem duram, & quæ omnem longe impietatem & avaritiam ſuperat, communi lege quaſi medicina quadam curare nobis viſum eſt, quæ non in præſenti tantum neceſſitate, ſed per omne deinceps ævum ſuo in repub. munere defungi queat: comperimus enim nonnullos in provincia, cui præſides, non dubitaſſe captato ad hoc de induſtria ſterilitatis frumentariæ tempore, ſub modica admodum menſura frugum mutui cum aliquibus contractum celebrare, & ex eo univerſam illorum terram ad ſe recipere: ut plerique ea occaſione ruſticorum diffugerint, plerique etiam fame [39] perierint, & tetra quædam lues ac contagio exorta ſit, in nullo pene barbarica incurſione inferior.

CAP. I.

Sancimus [40] igitur, ut quicunque agricolis quantamcunque menſuram quorumcunque aridorum fructuum crediderint, ſi ab his receperint, citra ullam exceptionem hæc illis reſtituant, nemine prorſus audente per cauſam prædictorum mutuorum, ſive ſcriptura interveniente, ſive ſine ſcripto celebrata ſint, terram [41] penes ſe detinere, octavam [42] duntaxat modii partem in ſingulos modios [43] per integrum annum uſurarum nomine ferentes, ſi fruges mutuo datæ erunt: ſi vero pecunia numerata, in ſingulos [44] ſolidos ſingulas annuas [45] ſiliquas. Cæterum de reliquo contenti creditores octava modii parte in ſingulos modios per annum, aut quantumcunque maneat, pro portione crediti, aut ſiliqua: omnino reſtituant, ſive terram, ſive aliud quiddam, boves forte aut oves, aut mancipia, pignori ceperint. Atque hæc lex omnibus humanitatis & pietatis de ſe ſpecimen præbeat, & tam egenorum neceſſitati medeatur, quam creditoribus nonnihil afferat ſolatii.

EPILOGUS.

† Quæ itaque nobis placuerunt, ea claritas tua effectui finique tradere ſtudeto, ſcituro creditore, quod ſi hæc contra facere aliquid auſit, exactione cadet; & qui mutuum accepit, quive injuriam pertulit, ex eo ſolatium habebit, quod tum ipſe a faceſſendo negotio liberatus ſit, tum creditorem in rebus ſuis jacturam pati videat. Dat. 15. Kal. Jul. *Conſtantinop.* BELIS. V. C. CONS. *

1 Ex duabus Majore & Minore, *tit. C. de off. mag. mil.* 6. Plin. 8. 9. 2 Prima Armenia. 3 Armeniæ primæ & interioris metropolis olim Bazanis ac Leontopolis, hodie Juſtinianea. 4 Urbes Armeniæ primæ interioris. 5 Ammianus 22. & Ceraſus, unde advexit hujuſmodi poma Lucullus. 6 Secunda Armenia. 7 Sebaſtea, metropolis Armeniæ ſecundæ, dicitur & σεβάσῃ & σεβαςία Stephano *libro de urbibus.* 8 Commana duplex: una, in Polemoniaco: alia, quæ & Chruſa dicitur. J. *hic.* 9 Urbes ſecundæ Armeniæ. 10 Καὶ τὴν ἀρχὴν, ἡγεμονίαν ὥσαν καταλιπόντες. Scrimger. Senſus eſt, Moderatorem Armeniæ ſecundæ, correctorem, ut olim, appellari. 11 Tertia Armenia. 12 Melitena, metropolis tertiæ Armeniæ. 13 Comes tertiæ Armeniæ, inter ſpectabiles viros hic refertur. 14 Comes Juſtinianeus Armeniæ tertiæ. 15 Urbes tertiæ Armeniæ. 16 Id eſt, auream. 17 Quarta Armenia. 18 Euſtathius *in Dionyſ.* hanc diviſionem Armeniarum Juſtino tribuit. vid. Cujac. 15. *obſ.* 29. 19 Anzitena, *l. ult. Cod. de off. magiſt. milit.* 20 Sophena, *dict. l. ult.* 21 Aſtyanea, *dict. l. ult.* 22 Belabitena, *dict. l. ult.* 23 Satrapiæ ſcil. Vox *Satrapa*, neque Romana, neque Græca, ſed Perſica. *Heſychius.* Hinc Herodot. 5. refert, Darium diviſiſſe regnum ſuum in 20. Satrapias & *lib.* 1. ἀρχὴν Babylonis σατραπίην vocari tradit, & Suidas *libro* 11. ſcribit, Satrapam Armeniæ quotannis 20000. pullorum miſiſſe ad regem Perſarum. Hac voce Terentius uſus eſt *Heautontim. act.* 3. *ſcen.* 1. *Satrapes ſi fiet, ſufferre amator numquam ejus ſumtus queat.* 24 De qua vide *d. l. ult.* 25 Τὸ Κιθαρίζον, *Scrimg.* locus qui Kitharizon appellatur, Jul. 26 Ὀρδιναρίους καθεστάναι, ſenſus eſt, Primæ Armeniæ Proconſulem, tertiæ Comitem ſpectabiles eſſe: ſecundæ correctorem, quartæ conſularem ordinarios eſſe, id eſt, clariſſimos eſſe. Tres ſunt gradus ordinis ſenatorii, clariſſimi, ſpectabiles, illuſtres. Ordinaria dignitas eſt minor ſcil. clariſſimatus, dixi ad *Nov.* 20. *c.* 2. Sic ordinarius miles Feſto eſt manipularis, is enim eſt infimus militiæ gradus, *l.* 1. *C. ad l. Jul. repet.* Vopiſcus *in Bonoſo.* Militavit primum inter ordinarios equites. 27 Γνησίως. 28 Innovationi provinciarum perſæpe non adſtringuntur Eccleſiæ. Hinc quoque deprehendimus hodie, non eandem metropolim eſſe epiſcopis & provinciarum præſidibus: & Eccleſiam aliam diviſionem provinciarum obſervare: aliam rempub. 29 *Novell.* 27. 30 *Novell.* 8. *cap.* 2. 31 *Novell.* 25. 32 *Novell.* 24. 33 *Novell.* 26. 34 Dat. 15. Kal. April. Conſ. Beliſ. *Julian.* i. e. anno 536. 35 Pertinet hæc conſtitutio ad agricolas Thraciæ, ſequens 33. ad Illyrici. *Goth.* Ad hanc & ſeqq. duas vide Rittershuſ. *part.* 3. *cap.* 10. Caſpar Roderic. *de reditibus* 1. *quæſt.* 13. *num.* 49. putat hos non fuiſſe in uſu, vel quod non diu uſitatæ fuerint, poſt obitum Juſtiniani afflicto undique Imperio. *Anſ.* 36 De his qui pecuniam credunt agricolis. *Index Reginæ apud Cujac.* Porro integra hæc conſtitutio refertur apud Julianum *in fine.* 37 Agerochii vox tria ſignificat, ἔνδοξον, ἀρτοζήτην τε, τὸν ὑβριστὴν, σὺν τούτοις *Tzetzes.* adde *Heſych.* in Ἀγέρωχοι. 38 Αἱμιμόντου. Scrimg. 39 Mortis graviſſimum genus, fame perire. Ammian. 17. Tiberius Druſo adeo ſubduxit alimenta, ut tomentum ex culcitra tentaverit mandere. Suet. *in Tiber.* 55. De fame ejuſque ſupplicio vide Petr. Gregor. 3. *ſyntagm.* 23. 40 Duo hic conſtituuntur favore argentariorum: unum de antichreſi, de qua vide Cujac. 3. *obſ.* 35. alterum de uſuris. 41 Nemo ea lege ab agricolis fundum pignori poteſt capere, ut fructus omnes percipiat uſurarum vice, quoad ſors oblata vel ſoluta ſit: atque ita ut fructus non imputentur in ſortem. 42 Id eſt, ſextarios duos. Modius enim 16. ſextarios continet: & ita licet octavam ſortis a ruſticis ſtipulari rerum aridarum & liquidarum nomine, trientes uſuras, ſeu 24. ſortis partem. Ea diſparitate permotus Molinæus putat hic legendum, non ὀγδόην μοῖραν ſed εἰκοστὴν καὶ τετάρτην μοῖραν. eo ſenſu, Non licere exigi ab agricolis ultra tertiam partem octavæ, ſive ultra viceſimam quartam partem ſortis annuatim, *quæſt.* 1. *de uſur. num.* 66. 67. 68. quod Contio 2. *lect.* 2. & Cujacio diſplicet, 3. *obſerv.* 35. Cauſam differentiæ reddit, quod pecuniarum ſit eadem ſemper poteſtas: cæterarum vero rerum pretia incerta & mutabilia, ideoque acceſſiones frumenti crediti nonnunquam excedere legitimæ uſuræ rationem, nonnunquam, excedi. Quin, legem 1. *C. Theod. de uſur.* pro pecunia centeſimas uſuras videri permittere: pro cæteris rebus in duos modios modium tertium, quæ uſura quatuor centeſimas efficit. 43 Hæc eſt uſura centeſima, ut vult Cujacius, utque etiam conſtat ex *Novell.* 136. vide *l.* 26. *C. de uſur.* 44 Ea eſt uſura triens, ut conſtat ex Leone *Nov.* 83. & Ammiano *l.* 2. *C. Theod. de uſur.* Ut enim centeſima eſt, cum in ſingulos aureos ſtipulamur tres ſiliquas, id eſt, octavam partem ſolidi, ita centeſima, cum in centenos ſtipulamur duodenos & ſemiſſem. 45 Ἐνιαύσιον κεράτιον ἕν. *Scrimg.* annuam ſiliquam unam.

TIT.